CONCLUSIONES
Ex Universa
THEOLOGIA
SCHOLASTICO-DOGMATICA.

Disputationis disciplina ad omnia genera quaestionum quae in Literis Sanctis sunt penetranda & dissolvenda, plurimum valet, tantùm ibi cavenda est libido rixandi. S. Aug. L. de Doctr. Christ.

Necessarium fuit praeter Philosophicas disciplinas quae per rationem investigantur, Sacram doctrinam per revelationem haberi. S. Thom. 1. p. q. 1. a 1,

Huic Scientiae tribuitur illud tantummodo, quô Fides saluberrima gignitur, nutritur, defenditur, roboratur. S. Aug. L. 14. de Trin. c. 1.

DE DEO UNO ET TRINO.

I.

LEò per ſummam malitiam impiorum quidam devenêre, út quò ſcelerum ſuorum Vindicem non perhorreſcant, DEUM omninò negando, de medio ſuſtulerint. Verùm rejectîs etiam, quod illi faciunt, Sacrorum librorum ea de re teſtimoniis: cùm omni, planè ratio DEI exiſtentiam clamet, nonnisi (a) *ſummam delicti eſſe* cum Tertulliano affirmamus: *nolentium recognoſcere quem ignorare non poſſunt.*

II. Præter Gentiles, quorum ad triginta millia deorum [b] Heſiodus olim numerârat; extiterunt etiam ſub nomine Chriſtiano Hæretici gentilibus haud multùm abſimiles. *Valentiniani* triginta AEonas varii ſexûs finxerunt. *Triteitæ* Tres Sanctiſſimae Trinitatis Perſonas totidem DEOS exiſtimârunt. *Cerdoniani & Manichæi* duo rerum principia ſibi invicem adverſantia ſomniârunt. Et ab horum quidem amentia haud longè abeſſe in ſcriptis ſuis videtur omnis planè Religionis oſor Baylius quidam, (c) ſæculo labente è vivis ſublatus. Qui tamen omnes, ſi quem Deum eſſe fatentur, & quid ſit Deus intelligunt; unum etiam eſſe omnino fateantur oportet; cum ratio ſana declaret: (d) *Multitudinem Deorum, nullitatem eſſe Deorum.*

(a) III.

a. *Apolog. c.* 17. b. *Poem deGener. Deor.* c. *InHolland. Anno* 1706. d, *S. Athan. Orat. contra Idola.*

III. Res universi regi fatô, aut casu; Deistarum deliramentum est ab Epicuro haustum. *Sicut enim* (e) ut verbis utamur D. Hieronymi, *in hominibus per singulos DEI currit Providentia, sic etiam in animalibus generalem quidem dispositionem, ordinem, cursumque rerum, intelligere possumus.*

IV. DEUS habet ab æterno sinceram voluntatem salvandi omnes omnino homines; ac Christus pro omnibus etiam reprobis est mortuus. Admittenda nihilominùs est vera tùm ad Gratiam tùm ad Gloriam Prædestinatio; ad Gratiam quidem gratuita; ad gloriam efficax & absoluta, consequens meritum hominis *absolutè futurum.* Nullô verò suô meritô hos ad gloriam electos, illos ad supplicia æterna reiectos, impii Calvini & Jansenii suîs digna doctoribûs sententia esto.

V. Est in DEO vera rerum cognitio, recteque eadem pro obiectorum ad quae extenditur varietate in Scholis dicitur: jam necessaria, *seu Scientia simplicis intelligentiæ,* cui res merè possibiles; jam libera *seu Visionis,* cui certo definitæ tempore; jam *Media* seu *Conditionatorum,* cui futura libera conditionata subiiciuntur. Et hæc posterior *Media* videlicet, ad conciliandam humani arbitrii libertatem cum Divinæ Gratiæ efficacia perquàm accommodata est; quò ad nomen quidem in scholis nostris nata, re ipsa sacrîs Codicibûs, Sanctorumque Patrum scriptîs pridem expressa, à Pelagianismo, & Semipelagianismo planè immunis propugnatur à nobis.

VI. Mysterium Sanctissimæ Trinitatis adversus Simonem Magum, Socinianos, Deistas, cæterosque ejusdem amentiæ homines, cum Ecclesia Catholica, profitemur principale ex capitalibus Fidei nostrae articulis, jam inde à Christo Domino nobis ad credendum propositum; de cujus notitia longè ante adventum Christi, antiquis etiam Patriarchis, Prophetis, cæterisque Viris Sanctitate conspicuis concessa, haud obscurîs veteris Testamenti locîs hodiernam Judæorum infidelitatem convincimus.

VII. *Arii* Filio DEI: *Macedonii* Spiritui Sancto dogmata injuriosa, à Conciliis, Nycæno & Constantinopolitano profligata, suscitavit in Polonia nostra ad Annum Christi 1550. hospes perniciosus Italus Socinus, ejusque malè prognatum germen nobis confines Transylvani etiamnum tuentur. At Filium Patri consubstantialem, Spiritum sanctum per omnia utrique esse æqualem, dogma Ecclesiæ manet nunquam concussum. Nec quidquam debilitatur facto Liberii & Patrum Ariminensis Concilii, qui tantùm abfuerunt ab Ariana hæresi; ut re ipsa apertissimîs eam verbîs dam-

e. *In C.* 1. *Habac.*

damnarent, formulamque fidei sibi oblatam in proprio verborum sensu Catholicam subscriberent.

VIII. Spiritum Sanctum non procedere à Patre: iidem teste Augustino (f) commenti sunt, qui Ejusdem ac Filii Divinitati inimici erant, Ariani dico & Macedoniani. Spiritum Sanctum è contrario à solo Patre procedere: Theodoreti à partibus Nostorii stantis primum erat commentum in Concilio Ephesino damnatum. Sed error hic in capite suo tùm præfocatus; VIII. dein sæculô Copronymo imperante repullulavit, Græcîs in Concilio Gentiliaco cum Latinis de Trinitate & Imaginibus altercantibûs, ubi ita animatum, IX. tandem Sæculô capitalis Latinorum hostis Photius fædo schismate cumulatum ad hodiernos usq; transmisit. Nos ex recta Orthodoxorum fide quemadmodum Spiritum Sanctum à Patre & Filio procedere fatemur; ita Latinos qui tuendi huius mysterii causâ Symbolo Constantinopolitano particulam *Filioque* licitè inseruerunt, ab omni prorsùs criminatione vindicamus.

DE INCARNATIONE.

IX. Quod primis hominum Parentibus atque post eos Sanctis Patriarchis & Prophetis fuit promissum ac revelatum Verbi Divini Incarnationis Mysterium, illud & nullam repugnantiam, quin perfici possit, involvere naturali ratione contra Gentiles; & re ipsa in JESU Christo Filio MARIAE Octavio Augusto orbi imperante in Bethleem impletum esse; invictis Jacobi, Danielis, aliorumq; Prophetarum oraculis adversùs Judæorum vecordiam palam demonstramus.

X. *Error Haereticorum de Christo*, ait S. Augustinus [g] *tribûs generibûs terminatur: aut enim de Divinitate Ejus, aut de Humanitate, aut de utroque falluntur.* Multa ejusmodi monstra statim atq; nata fuêre, ab ipsis Christianæ Reipublicæ Principibus Apostolis, profligata sunt. Anno tandem 28. quinti post natum Servatorem Sæculi, perniciosissimus inter alios caput extulit Nestorius, qui Virgini Sanctissimæ appellationem Deiparae adimere tentans; pro numero naturarum, duas in Christo Personas divisit. Verùm impudentem impiumque cavillatorem cum Ephesina Synodo damnantes: & Virginem MARIAM verè DEI Genitricem, hancq; dignitatem de congruo sibi meruisse agnoscimus; & unam tantum in Christo Personam profitemur.

XI. Nestorio se obiiciens Eutyches in extremè oppositum lapsus est errorem. Solam ille in Christo Divinam scilicet agnoscebat naturam, humanâ prorsùs velut guttâ mellis mari mixtâ absor-

f. *L. de Haeres. c. 49.* g. *L. 1. Quæst. Evangel. Q. 45.*

ſorptâ; atq; ita novo errori vetera ante ſe Hæreticorum de corpore videlicet Chriſti phantaſtico, deque apparente Ejuſdem Paſſione deliramenta velut appendices quasdam adjunxit. Enorme dogma Patres ad Concilium Chalcedonenſe convocati fulmine perſtrinxerunt ex apertis Sacrorum codicum teſtimoniis poſteritati tranſmittentes: [h] *Verbum carnem factum eſſe non converſione humanitatis in Divinitatem, ſed duabûs in unam Perſonam Divinam concurrentibûs naturîs diſtinctîs omninò ac impermixtîs.*

XII. Atq; indè ex Eutychiano tanquam rivulus à fonte naſcens de una in Chriſto Voluntate & operatione Monothelitarum; quivè poſt hos etiamnum à Lutheranis circumfertur de ubiquitate Corporis Chriſti error, uno quaſi ictu Chalcedone, priùs etiam quàm prodiret, confoſſus eſſe videtur. Sed praeterea Monothelitarum à Conſtantinopolitana VI. à Tridentina demùm Synodo Ubiquiſtarum errores damnati, à nobis quoq; duas in Chriſto volitiones diverſasq; Corporis ejusdem à Divinitate proprietates fatentibus, damnantur ac reiiciuntur.

XIII. Indignè ſanè injuſtèque Eccleſiæ Catholicæ labem adſpergere conantur, qui in Monothelitarum numero reponunt Honorium Papam. Pontificis enim hujus fides ab illorum Hæreticorum peſte immunis, cùm ſuis ipſius ſcriptis probè intellectis; tum aliorum, imprimis veró Agatonis & Joannis IV. teſtimoniô vindicatur.

DE PECCATIS ET GRATIA.

XIV. Vitium & Virtutem nihil naturâ ſuâ differre niſi ex lege Principis prohibente, aut præcipiente; ſtolidè paritèr atq; impiè Deiſtæ effutiunt. Inter vitia verò nullum diſcrimen admittunt poſt Jovinianum, Pelagium, Wikleffum, Lutherus & Calvinus malorum æmulatores ſagaciſſimi. Contra Deiſtarum inſipientiam: ſanam rationem appellamus; contra reliquorum hallucinationes: Sacrarum etiam Literarum monumenta adjungimus.

XV. (i) *Nullius culpæ humanæ in DEUM conferas cauſam,* cum Eccleſia Magnus Doctor Auguſtinus effatur. Impiæ proindè ſunt, & cum ſuis authoribus ad tartarum relegandae blaſphemiæ. *Libertinorum:* quaecunq; fieri videntur ab hominibus ſive bona ſive mala illa ſint, omnia fieri à DEO qui omnia in omnibus operatur. (k) *Zwinglii:* quod DEUS operatur per hominem homini vitio vertitur, non etiam DEO [l] *Calvini* demùm cæterorumq; ſibi ſimilium: Inficiari nemo poteſt, quin præſciverit DEUS, quem exitum habiturus eſſet homo antequam ipſum conderet, & ideò præſciverit, quia decreto ſuo ſic ordinaverat. XVI.

h. *Chalced. A.* 451. i. *L. de Natura & Grat. c.* 65. k. *Serm. de Provid. A.* 1530. l. *L.* 3. *Inſtit. c.* 13. § 7.

XVI. Peccatum Adæ non exemplô delicti, quemadmodum docebat Pelagius; ſed verè ac propriè per generationem naturalem in omnes ejus poſteros, Fidelibûs illi vel infidelibûs naſcantur parentibûs? ſeclusô ſpeciali privilegiô transfunditur.

XVII. Ab hac nihiloſeciùs communi generis humani labe, propter ſingularem Matris Dei dignitatem, Filiiq; merita, Beatiſſimam Virginem MARIAM ex ſpeciali privilegio Dei immunem ſemper liberamq; defendimus.

XVIII. Ut alias *Gratiæ* partitiones miſſas faciamus, celebris illa eſt, quâ in *Habitualem* juſtificantem, & *Actualem* auxiliantem dividitur. De priore illa, multa nefariè comminiſcuntur Hæretici, & cumprimis Lutherus & Calvinus. Contra quos cum Sacroſancta Synodo Tridentina pronunciamus: [m] *Hominem neq; ſola imputatione juſtitiæ Chriſti, neq; ſola peccatorum remiſſione, neq; mero DEI favore, ſed gratiâ & charitate, quae per Spiritum Sanctum in cordibus diffunditur atq; inhæret, juſtificari.*

XIX. De *Gratiæ Actualis* auxilio, duo errores è diametro ſibi oppoſiti extiterunt. Semipelagiani ad incipiendum, Pelagiani ad perficiendum etiam opus ſalutare neceſſitatem ejus excluſerunt; Lutherus, Calvinus, & qui de Janſenii Schola prodierunt, contra: nihil libero arbitrio, omnia ejuſmodi Gratiæ attribuunt. Nos assertam ab Eccleſia & Patribus Gratiam ad initium & perfectionem bonorum operum, contra priores ita ſuſtinemus; ut ſimul adverſùs poſteriores ſalvum omninò, integrum, inviolatumq; liberum hominis arbitrium ex ejuſdem Eccleſiæ & Patrum oraculis retineamus.

XX. Atq; hujus *Actualis Gratiæ* genus in Catholicorum ſchola ſolemniùs celebrari ſolitum, contra eoſdem Novatores duplex agnoſcimus: Alterum *Sufficientis*, *Efficacis* alterum. Illa quidem, *Sufficiens* ſcilicet nemini uſum rationis habenti à DEO ſalutis noſtrae auctore negatur; cùm *Efficacem* nonniſi cui voluerit pro beneplacito ſuo largiatur.

XXI. Gratiæ *Efficacis* nomine intelligitur auxilium Divinum, conſenſûs ſalutaris infallibiliter operativum. Undè autem efficacitas iſta petenda ſit? in Varias Theologi abierunt ſententias. Nobis illa ad verum propiùs accedere, & ad conciliandam operationem Divinam cum libertate humana, præ cæteris accomodatior eſſe videtur, quæ Gratiam hanc conſtituit: in auxilio Divino excitante, ex natura ſua repudiabili quidem, congruo tamen, & ex prævisione per *Scientiam Mediam* conſenſùs humani liberè futuri, infallibilitèr operativo effectûs ſalutaris.

XXII.

m. *Seſs. 6. c. 7.*

XXII. Quemadmodum in multis aliis, ita in Justificationis dotibus turpissimè falluntur Hæretici. Primùm enim immutabilem illam esse decernunt; nos contra: Justum quemvis vitam mortalem agentem à Sanctitate excidere posse asserimus. Deindè affirmant certitudinem illius esse firmissimam; at nos: seclusa revelatione, certitudinem, quæ fidei sit, de propria justitia haberi posse negamus. Ad extremum censent illi æqualem in omnibus esse sanctificantem gratiam; nos contra: & inæqualem illam esse, & incrementi capacem, pronunciamus.

XXIII. [n] *Sola Fides necessaria est, ut justi simus; cætera omnia liberrima, neq; præcepta amplius, neq; prohibita,* aiebat Lutherus bona opera & observationem mandatorum proscribens. Sed contrà impium nebulonem, bonorum operum necessitatem & mandatorum servandorum obligationem cum orthodoxorum grege propugnantes, fulmen Hæreticorum Magnum Augustinum opponimus: [o] *Homines non intelligentes quod ait Apostolus, arbitrantur hominem justificari per fidem sine operibus; putaverunt eum dicere, sufficere homini Fidem etiamsi malè vivat, & bona opera non habeat; quod absit, ut sentiat vas electionis.*

DE FIDE DIVINA.

XXIV. Ex impura Calvini secta prognatum est genus hominum impurius, *Tolerantes & Indifferentistæ* dicti. Illi *Tolerantes* scilicet, quidvis in fide tolerari debere, modo Reipublicae & Legi natutali non adversetur, censent; *Indifferentistæ,* unicuiq; in ea Religione permanendum in qua natus est, existimant. At solam Religionem Catholicam esse utpotè verissimam sanctissimamq; contra utrosq; asserimus: quæ & Reipublicæ emolumentis optimè, & saluti æternæ obtinendæ, unicè deserviat.

XXV. Cùm omnia Fidei Christianæ capita Divina authoritate nitantur; famosæ Episcopii articulorum fidei in *Fundamentales* & *Indifferentes* divisioni nullum omninò locum concedimus Authoritas porrò Dei pro ratione *formali* nobis venit prout complectitur Sapientiam & Veracitatem, juxta illud Augustini: *credimus Deo quia falli non potest, quia mentiri non potest.* Cum verò teste eodem Sancto Doctore: *Divina Potentia factis etiam loquatur;* fieri nequit, ut summa Veritas falsam doctrinam meri miraculi testimoniô confirmet.

XXVI. Quanquam sola authoritate Dei revelantis in credendis Fidei Mysteriis nitamur, & privatas etiam revelationes habito discriminis moderamine sustineamus: procul nihilominùs illorum hæreticorum opinionem reicimus, qui illud non nisi credendum asseverant,

n. *Comment. in Ep. ad Galat. c.* 2. o. *L. de Grat. & lib. arb. c.* 7.

verant, quod à privato spiritu speciali instinctu & secreta Dei revelatione unicuiq; interiùs proponatur.

XXVII. Atq, ita cùm doctrinam Fidei non immediatè à Deo ad singulos derivari oportere certum habeamus; provisum esse propterea sentimus Numinis Providentiâ de ratione seu regulis quibusdam certis omninó ac infallibilibus, quibûs emanatæ à Deo veritates ad universos deferantur: delatis fides roburq; indubitatum concilietur. Porrò quinque ejusmodi regulæ à Catholicis numerari solent, nempè: *Scriptura, Traditio, Ecclesia, Concilia, & Summus Pontifex.*

XXVIII. Et Scripturam quidem ejusmodi regulam esse hæretici ultrò contendunt; verùm authenticam minimè agnoscentes, multa pro libidine sua rescindunt, & eâ solâ ità truncatâ omnia in Fide volunt deduci; cum nos è contrariò, Scripturæ eam versionem, quæ *vulgata* dicitur, verè authenticam esse propugnamus.

XXIX. Sacra Scriptura quantumvis integra ab Hæreticis relinquatur, se sola considerata sufficiens credendorum regula esse nequit; multa enim quæ credenda sunt, ex Scripturis aut non possunt, aut certè probari non debent. Ad hæc scriptura multîs intricata difficultatibûs tenebras ipsa suas dispellere non potest. Quamobrem ad priorem fidei regulam vel ipsa Scriptura teste, adjungenda est altera, nempè *Traditio*, quam frustra reluctantibûs hæreticîs, admittimus.

XXX. Sed neq; hîs Fidei Christianæ certitudini satis provisum foret, nisi præterea aliæ animatæ ejusmodi regulæ constitutæ fuissent. Ecclesia Christi in terris, quæ est perpetuò visibilis, in rebus credendis neq; hallucinata est neq; hallucinari unquam potest. Eadem, non secundùm omnia quidem sua membra, controversiarum Fidei ac dogmatum est judex; secundùm tamen ea, quibus hæc potestas jure competit, infallibilis omninò est in decidenda & declaranda orthodoxia, & haeterodoxia quorumlibet textuũ dogmaticorum.

XXXI. Porro privilegiô illô in materia Fidei & morum infallibiliter decidendi non gaudet Concilium etiam Oecumenicum, nisi cum Papa capite suo conjunctum. Pontifex contra, si sit legitimus, quid quid etiam reclamante universali Concilio, ex Cathedra, ut ajunt Petri, universæ Ecclesiæ credendum pronunciat, omninò infallibilis est; nec ullus jam inde à Christo Domino in eo definitionis genere errâsse deprehendi potest, quid quid adversarii malevolè oggánniant.

XXXII. Quapropter ut Petro primatus non solùm honoris, ordinis, & electionis, sed potestatis etiam ac jurisdictionis à Christo collatus fuit; ita Petri in sede Romana Successores, atq; adeò hodiernum etiam Clementem XIII. eadem omninò potestate ac jurisdictione

 pollere

pollere, Visibile Caput Ecclesiæ, ac verum in terris Christi Vicarium esse, fide certum adstruimus.

DE VIRTUTIBUS MORALIBUS.

XXXIII. In Virtutum Moralium ordine primas sibi jure vendicat Fortitudo tot Martyrum laureolis coronata. Ac Martyrium quidem si à nulla ex requisitis conditionibus deficiat, in infantibus & adultis non baptisatis supplet defectum baptismi, tàm quò ad justificationem & consecutionem gratiae & gloriae, quàm quò ad remissionem omnis pænæ peccatis debitæ.

XXXIV. Ad Temperantiæ Virtutem Jejunia Ecclesiastica referuntur, quæ sivè temporis præstituti, sivè abstinentiæ ratione spectata, rectè ac salutaritèr ab Ecclesia esse præscripta, nemo nisi cui venter Deus est, negaverit.

XXXV. Virtus Religionis colendo Deo, Divisq; Cælitibus invocandis, suam operam impendit, nec minùs ritum qui in hocce officio adhiberi debeat præscribit. Itaq; Deum etiam humana carne indutum *Latriæ*: Beatissimam Dei Genitricem semper Virginem *Hyperduliæ*: cæteros verò Sanctos *Duliæ* cultu adorari præcipit. Quâ datâ occasione ab omnibus veterum, recentiorumq, Haeretico-rum criminationibus, Dei Sanctorumq; Imagines, & cultum earundem vindicamus.

DE ANGELIS ET BEATITUDINE.

XXXVI. Angelos cum hoc mundo visibili, in Cœlo Empyreo à Deo creatos, esse substantias omnis materiae expertes, suâq; naturâ immortales, apud orthodoxos in confesso habetur.

XXXVII. Regnum mille annorum in terris cum Agno, sivé illud intelligatur de spatio quô animae justorum è corporibus migrant ad usq; universalem hominum resurrectionem: sive istud idem regnum post supremum Judicii diem ad mille annos differri censeatur, tanquàm fictitium reiicientes: animas Justorum, quibus nihil superest luendum, simul atq; corpore solutae fuerint, ad intuitivam Dei visionem evolare, fide certum edicimus.

XXXVIII. Inter illum refertissimum omnis beatitatis locum, quô piorum animae aeternùm Deo fruiturae recipiuntur, atq; illum ubi scelerati aeternis mactantur suppliciis; est medius quidam quem, quod criminum sordibus purgandis destinatus sit, *Purgatorium* appellavêre Catholici, frustra contra perpetuam Ecclesiae traditionem, Gentium omnium orandi pro mortuis morem frendentibûs Lutherô atq; Calvinô eorumq; sectariis.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

XXXIX. Cùm contra Archonticos, Fratricellos ac reliquos ejus-

ejuſdem furfuris homines: extare in Eccleſia Chriſti Sacramenta affirmamus; tum contra Lutherum & Calvinum eorumq; gregales, temerè Sacramentorum numerum minuentes: neq; plura, neq; pauciora quàm ſeptem novae Legis Sacramenta propugnamus.

XL. Inſtitutio Sacramentorum ſoli immediatè Chriſto tribuenda eſt; à quo etiam res quae *materiæ*, & verba quae *formae*, vicem in iiſdem ſubeunt, determinatas eſſe; contra iniquos novatores defendimus,

XLI. Quanquam fidem ac probitatem in Miniſtro ad valorem Sacramentorum minimè requiramus; intentionem nihilominùs omninò neceſſariam contendimus. Non eam quidem, quae paucorum & periculo obnoxia eſt, nudum videlicet actum externum & jocoſum: ſed internam, veram, quae nomine Chriſti operantem deceat, quaecunq; tandem illa ſit, explicita? vel implicita? & ſaltem faciendi, quod facit Eccleſia.

XLII. Efficientia & finis Sacramentorum à Chriſto Inſtitutore intentus, non eſt quemadmodum Lutherus, Sacramentarii, atq; ex his Calvinus malè docuerunt: ac ſi videlicet eſſent promiſſionum Dei ſigilla, vel noſtrae pietatis ſigna; ſed ut primò & proximè gratiam ſanctificantem in ritè ſuſcipientibus propriâ vi & virtute, ſeu ut poſt Innocentium III. & Divum Thomam ſcholae & Concilia loquuntur, *ex opere operato* producant. Id quod etiam veteris inter ac novae Legis Sacramenta praecipuum diſcrimen ſtatuimus.

XLIII. Si Baptiſmum excipias, quem inſtante neceſſitate quivis mortalium poteſt impertiri; reliqua omnia Sacramenta ſuos habent Miniſtros ſingulares, contra quam ſentiunt Haeretici, omnes & cujuſvis ſexûs homines, atq; adeo Daemonem ipſum ad id miniſterium admittentes.

XLIV. Tertio labente Saeculô excitatam ab Aggripino de rebaptiſandis haereticis opinionem arripuerunt Viri etiam Sanctitate conſpicui, inter primos verò Cyprianus & Firmilianus Epiſcopi. Quibus Stephanus dignus Petri Sede Pontifex conſtanter ſe ſe opponens, quorumvis haereticorum baptiſma, modo in debitam materiam & formam collatum ſit, valere aſſeruit. Quod idem nos etiamſi cum univerſa Eccleſia firmitèr ſentiamus; non illicò tamen mox nominatos Antiſtites haereſeos damnamus, ut pote qui non ita mordicùs opinioni ſuae adhaeſerunt, ut à contra ſentientium communione abſtinendum ſibi putaſſent (p) *parati* quinimò Auguſtino teſte, *ſenſum ſuum deſerere, ſi quod de hac re tranſmarinum vel univerſale Concilium factum eſſet.*

XLV.

p. *L.* 2. *de Bapt. n.* 14.

XLV. In Sanctissimo Eucharistiae Sacramento à Sacerdote ritè ordine confecto, verè ac realitèr Corpus & Sangvinem Christi, idq; sub alterutra paritèr ac sub utraq; specie contineri, dogma Fidei est. Usum proindè calicis fidelibus non sacrificantibus nullo jure debitum, ab Ecclesia justè negari; contra omnes diversum contendentes haereticos propugnamus.

DE POENITENTIA.

XLVI. Fide certum est, extare in Ecclesia ex Christi institutione diversum à Baptismo & ejus memoria Sacramentum Pœnitentiae; cujus materia sunt actus pœnitentis, forma verba absolutionis à Sacerdote, qui solus est post Episcopum hujus Sacramenti Minister, prolata.

XLVII. Verbis porrò absolutionis Minister virtute Clavium non tantum denunciat esse paenitentibus peccata desuper remissa, sed ipse eadem pro communicata sibi authoritate remittit.

XLVIII. Nullum peccatum tam grande est, quod per Pœnitentiam remitti non possit. Secùs verò, absq; Poenitentiae Sacramento re aut voto suscepto, nemini culpae gravioris conscio salus aeterna contingere potest.

XLIX. Dolor de peccatis ut justificet extra Sacramentum, debet esse ex amore Dei appretiativè summo conceptus; cui tamen certum intensionis gradum minimè definimus. Intra verò Sacramentum etiam Attritionem ex metu gehennae conceptam hominem offenso Deo reconciliare adstruimus.

L. Falluntur Novatores, qui XIII. primùm Saeculô Confessionem excogitatam & inductam esse comminiscuntur. (q) *Universa Ecclesia* ait Tridentinum, *semper intellexit institutam à Domino integram peccatorum confessionem, & omnibus post Baptismum lapsis jure Divino necessariam existere.*

q. *Sess.* 14. *c.* 5.

Propugnabuntur publicè in Gymnasio Varsaviensi Soc: JESU à Patribus ejusdem Societatis. Præside R.P. PAULO MODZELEWSKI AA. LL. & Philosophiæ Doctore Sacræ Theologiæ ac Sacrorum Canonum ordinario Professore; & R.P. THOMA BOGUSZ AA. LL. & Phliæ Doctore Sacræ Thliæ ac Sacrorum Canonum ordinario Professore. Annô 1763. *Mense Juniô Die* 18. *horis matutinis & pomeridianis.*

Ad M. D. G. B. V. M. SSrumq; OO. Cultum ac Venerationem.

*** *** ***

*** ***

45
16
4
65

4	15
5	15
2	6
1	6
13	6

40 adama. 46 20
12 galon
4 mereynus
4 gatonek
6 roboda
16 Poddzey
67 21.

65
15
82
46
36